

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.
0911

0909

0915

0905

0920

0900

0960

0860

1010

0810

0410

Ende

Anfang

338

colligere. Ideo nos libenter vidissemus, ut certi cameli fuis-
sent ordinati ad portandum res primae societatis, alii secundae
et caeteri tertiae. Sed hoc camelarii nolebant intelligere nec
facere, et ex hoc, ut dixi, multa litigia, inquietudo et labor
fuerunt orta in oneratione, praeципue in principio.

Oneratis autem bestiis et asinis stratis eos adscendimus
et in nomine Domini de monasterio exivimus et per medium
oppidi transeuntes ab alia parte per clivum contra austrum
descendimus ad latus montis Bethuliae, alias Rama, quod a
sinistris dimisimus. In processu ergo venimus supra vallem
Raphaim, in cuius margine transivimus quasi per horam. Haec
vallis fertilis esset, si haberet cultores, et ferax frumenti, sicut
patet Esa. c. XVII. In hac valle expugnavit David Philistaeos,
qui in ea se diffuderant sicut locustae, ut patet 2 Reg. V.
Scindit enim vallis illa (**5 a**) montana Judaeae a planicie Pa-
laestinorum vel Philistaeorum usque sursum, et ita per eam
poterant ascendere in terram Juda. Procedentes autem elonga-
bamur a Bethleem, quam tamen a longe a tergo vidimus
usque ad meridiem; circa meridiem vero in latitudinem quan-
dam venimus fertilem, ubi erant agri fructuum et multae olivae,
et fici. Declinavimus autem cum bestiis in densitatem oliva-
rum et sub umbra consedimus et manducavimus ea, quae in
sacculis nostris de Bethleem habebamus, potum vero habere
non potuimus, quia cameli, qui utres aquae ferebant, nos an-
tecedebant. Sumto ergo modico cibo rursum asinos adscendi-
mus et progressi sumus et ad viarum divisionem venimus,
ubi una via per planitem descendit ad dextram in Palaestinam
contra Gazaram, per villam dictam Thyrin, et per castellum,
quod nominant ad S. Samuelem. Alia via dicit ad sinistram
in montana in Ebron, et circumeundo de Ebron descenditur
in campestria Palaestinae ad Gazaram, et per viam sinistram
est via duobus milliaribus teutonicis propinquior ad Gazaram,
quam per viam dextrae. Ideo Calinus major jussit minari ca-
melos per aliam viam inferiorem propinquorem, in qua via
ad Ebron non venissemus; sed cum hoc intellexissemus, recla-
mavimus et minari camelos per aliam viam fecimus, quae du-
cit in Ebron, et in his fuit facta magna altercatio inter nos et
ductores nostros. Ipsi volebant procedere via breviori, nos

